



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. II. De pertinentibus ad Secundum præceptum Blasphemia,
Juramento, Voto, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

De pertinentibus ad secundum Preceptum. Non assumes nomen Domini &c.

§. I.

De Blasphemia.

modi causa non cognoscitur habere vires ad talem effectum, semper esse superstitiosum, illum à tali causa expectare. Non videtur tamen hæc regula pro certâ habenda. Multa enim sunt in rebus naturalibus quorum virtus nobis latet ignota, ut quo modo vi magneticâ ferrum trahatur, aut acus nauticâ magnete attracta ad stellam polarem sese convertat. Et sanè S. August. Lib. 14. de Civit. Cap. 24. varia recenset, quæ aliquis virtutis causarum naturalium ignarus facile dæmoni adscriberet: inter hæc adducit hominem nomine *Restitutum*, qui, quando volebat, ita alienabatur à sensibus, ut etiam ignem sibi admotum non sentiret: & alium, qui fudaer solitus erat, quoties ipsi placebat, solâ voluntate sudorem provocare; & plures, qui pro libitu poterant ubertim lachrymas profundere. Novi & ego virum Religiosum facundè eruditum, qui affirmavit se posse solo voluntaris imperio ita retrahere spiritus celebrandæ visioni necessarios, ut apertis oculis non videret.

8. Potior itaque apparet resolutio *Sanchez hic Cap. 6. Num. 44.* in tali dubio; cæteris paribus, præsumendum esse potius pro natura quam pro dæmone, quoties non occurrunt aliqua signa immixta superstitionis, ut sunt verba quædam incognita, aut vanus aliquis numerus rerum; quæ ad talem effectum non possunt pertinere: cum enim ipsa natura sit in possessione operandi res mirabiles, in dudio videtur illi effectus potius attribuendus. Aliud est quando à viris prudentibus judicatur absoluta esse proportio inter causam & istiusmodi effectum: qualis videtur esse in oleo, aut herba respectu ægri, aut vulnerati magno loci intervallo distantis.

9. Quæstio gravis est, An, quando constat jam positum esse maleficium, licitum sit illud tollere per aliud maleficium? Ut, si puer maleficio infectus sit, possit parens accedere maleficium pro remedio malefici?

Respondetur cum distinctione. Primò, licitum est tollere maleficium per destructionem signorum, quæ alicubi posita sunt ut dæmon alicui noceat, modò ad hæc destruenda novum maleficium non adhibeatur. *Navarrus ac plures alii.*

Secundò, Si maleficium possit aliquo modo licito maleficium tollere, non est peccatum eum prece, aut etiam pretio inducere, ut maleficium auferat, etiamsi credatur ex sua malitia per novum maleficium id facturum, Quia, cum supponatur posse viâ legitimâ id præstare, habeo gravem & iustam causam id postulandi? ipsius autem malitiæ imputandum est, si modo illicito maleficium auferat: sicut licitum est petere mutuum ab usurario, etsi sciam illum usuras illicitè exacturum, cum potuerit mutuum licito modo concedere. *Lugo, Diana, Less. Sanchez Lib. 7. de Matr. D. 95. Num. 11.*

Tertiò, Nunquam licitum est efficere, ut maleficium novo maleficio tollatur. Quia hoc esset directe inducere in peccatum, & actum intrinsecè malum: Scripturâ etiâ aperte prohibente, *Levit. 19. Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.*

10. Debet autem Confessarius, antequam huiusmodi maleficos, sacrilegos, aut magos absolvat, eos monere & inducere, primò, ut pactum sive expressum sive implicitum, quod habent cum dæmone, serîo abjurent. Secundò, ut suas schedulas, ligaturas, libros, aliaque impiæ artis instrumenta comburant. Si autem chirographum aliquod dæmoni tradiderint, non est absolute necessarium, ut recipiatur, quia pactum illud per penitentiam dissolvitur. Tertiò, ut promittant efficaciter quantum poterunt damna aliis illata resarcire.

1. Blasphemia est maledictio sive contumelia in Deum: ut si quis Deum vocet tyrannum, aut impium, aut dicat se aliquid Deo invito facturum. Blasphemia non admittit parvitatem materis, sed semper est peccatum mortale, quoties liberè profertur.

2. Peccatum Blasphemie est etiam in Sanctos, res sacras contumeliam dicere, si proferatur in Sanctos, ut Sancti sunt. Non enim esset grave peccatum dicere de aliquo Sancto, quod fuerit ignobilis, tutor, mulctus, &c.

2. Si quis in iracundia, indignando non Deo, sed homini; nominet Sacramenta, vulnera Christi, & similia sine aliorum scandalo, non erit illa Blasphemia, sed tantum usurpatio sacri Nominis, & facile potest esse tantum veniale, ut docet *Casus, Sanchez, &c.*

4. Maledicere vento & pluvie, quæ astringuntur, aut diei & loco, in quo nati sumus: aut equis & jumentis, faciunt rustici aut auriga, si listat maledictio in sola creatura sic ut tantum ipsi malum imprecemur, non est per se lethale peccatum: si autem indignatio tendat contra Deum, aut contra creaturas illas, quatenus sunt instrumenta Dei, committitur grave peccatum: quòd si operus creaturas destrui cum gravi damno proximi, peccatum est contra charitatem.

5. Verba quæ tantum dubiè videntur sonare aliquam contumeliam contra Deum, & possunt facile in alio sensu accipi, non debent cenferi verba Blasphemie, nisi prava intentio. Quia verba in dubio non sunt accipienda, ut sonent delictum, non enim præsumitur delictum, nisi de eo constet. *Bonacina, Casp. Tambur. Lib. 2. Cap. 6. §. 4. Num. 19.* Decet tamen à talibus verbis tanquam periculosi studiosè cavere.

6. Sed *Quares* primò. Quid censendum de parvulis aut aliis, qui sæpè liberis & amicis dæmonem, & damnationem imprecantur?

Respondeo, non esse Blasphemiam, sed tiram imprecationem, quæ plerumque ob subitam iram & iracundiam, ac defectum seriæ voluntatis veniale peccatum non excedit, nam plerique, si interrogentur, dicunt nullo modo voluisse, ut malum illud alteri eveniret. *Bonacina, Navarrus, Tol. Regim. Baldel. D. 29. Num. 10.*

7. *Quares* 2. Quid judicandum de illis, qui quoties ex prava consuetudine verba Blasphemie in diversis locis proferunt? Quidam censent singulis vicibus mortaliter peccare. Alii tamen docent illos tantum peccare in causa, dum consuetudinem illam cum adverteant contraherent, & nunc tantum peccare omissione diligentia ad extirpandam consuetudinem vitiosè contractam, de qua à Confessario serîo monendi sunt, etiam aliquando cum dilatione absolutionis, si debet non appareat emendatio. Ita *Diana Part. 3. Tractat. 5. Resol. 65. & Part. 10. Tractat. 14. Resol. 13.* citans Suarez & sex alios. Item *Leander de juramento Disp. 5. Quæst. 18.* cum aliis, quibus non

Ausc
KThe
log
D. 11

apparet quomodo verba illa, sine ulla advertentia malitiae prolata; possint esse per se formalia peccata, magis quam eadem verba in somno, aut ebrietate prolata, cum hic & nunc dum proferuntur absit omnis notitia & advertentia malitiae, adeoque desit nunc libertas illa quam ad merendum & demerendum omnes requirere debemus.

8. Pro Blasphemia, in Confessione gravem injungendam esse poenitentiam discretè statuit Conc. Lateran. & Trident. Sess. 14. Cap. 8.

Olim in Jure Canonico Cap. sancimus de maledicis, statutum est, ut si quis contra Deum, aut Sanctos publice blasphemaret, per Episcopum suum his poenis subiceretur; ut septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiae palam, dum aguntur Missarum solennia, existeret, & ultimo die pallium & calceamenta non habeat, & Sexis quibusque feriis intra illud tempus in pane, & aqua jejunet, &c. Nunc verò quoad praxim spectandæ sunt constitutiones, & consuetudo pro puniendis Blasphemis in variis locis recepta, ut cum aliis advertit Azor, & Castropalaus Disp. 2. Punct. 2. §. 5. Viget autem in Hispania hæc consuetudo, ut si homo ignobilis proferat Blasphemias hereticas, producatur in publicum cum galero papyraceo, collum ligatus fune, lingua ligata palo, sine pallio, nudis pedibus, & flagellatus tandem mittitur in exilium. Ex quibus patet Blasphemum non debere mirari, si saltem à suo Confessario non nihil severè tractetur.

§. II.

De Juramento.

Juramentum est invocatio divini nominis in alicujus Testimonium. Ac proinde Juramentum sanctè susceptum est actus latitæ: undè fit ut solum per Deum verum jurare liceat, qui solus est rerum omnium conficius, & infallibile Testimonium perhibere potest.

1. Juramentum aliud est *Affertorium*, quo confirmatur dictum de præsentis vel præteriti: aliud *Promissorium*, quo confirmatur promissum de opere futuro. In Juramento promissorio includitur etiam assertorium de voluntate rei faciendæ.

2. Juramentum non est dicere: In mea fide, in mea conscientia, in fide Christiani, in fide Religiosi: æquivalent enim tantummodò his; ita est, verum est; neque Deus ut testis invocatur. Nisi per ea verba quis intendat jurare, nam & juramentum ex intentione dependet.

Nec jurare per creaturam, juramentum propriè est, v. g. per animam, per dexteram, &c. modò ad Deum non referas, sed tantum per eam, quantum potest, veritatem confirmare intendas, etsi tali Testimonio abutens à peccato aliquo non excusetur.

De habentibus consuetudinem jurandi idem ferè dicendum quod supra de Blasphemia, Num. 7.

3. Mortale incurrit, qui jurat se facturum, quod credit se facere non posse. Item qui jurat falsum etiam sine animo jurandi: Tum etiam qui jurat aliquid promittendo, sine animo promittendi. Quia ipsa forma Juramenti falsò suscepta est gravis in Deum irreverentia. S. Thom. 2. 2. q. 97. A. 7. Less. Bonacina &c. Peccat etiam graviter qui jurat rem dubiam tanquam certam. Suarez, Angel. Navarrus Cap. 12. Num. 7.

4. Qui jurat facturum se aliquod opus leviter malè, R. P. Arjaeck. Tom. II.

lum, peccat plerumque tantum venialiter; si verò id jurat sine animo faciendi, peccat mortaliter. Bonacina, &c. Ratio prioris est, 1. Quia sic jurans nullo modo Deum adducit in testem falsi: Supponitur enim habere animum committendi illud veniale, quamvis exequi non teneatur, sed potius omittere. 2. Juramentum illud non continet gravem irreverentiam: quia etsi non sit apta juramenti materia, non est tamen graviter inepta, quod patet, nam jurare se facturum rem merè indifferentem est tantum veniale, eo quod sit materia leviter non apta, ut satis constat: atqui materia venialis non excedit indifferentem nisi excessu veniali: ergo illius ineptitudo sive irreverentia in ordine ad Juramentum est tantum venialis. Quis facile censerebit reum fieri ignis æterni, qui jurat se velle focio auriculam vellere, aut dicturum illi verbum injuriosum, aut ereptum obulum non redditurum, quod novit venialiter malum. Sic etiam censet Cajetanus in summa de juramento, Sylvester, Sotus, Navarrus, Covar. Valentia, Suarez, Sayrus, Fagundez, Bissius, Azor, Leander plures citans, & hoc longè probabilius affirmans, de Juramento Disp. 7. Quæst. 37. Addidi tamen, plerumque, quia possint in aliquo singulari casu intervenire tam notabiles circumstantiæ, ut irreverentiam gravem, vel etiam scandalum arguere possint.

5. Rem levem in Juramento promissam non præstare, mortale non esse, v. g. servum aut prolem non castigare, uti probabilius docet, Sanchez, Layman, Sylvester, Antoninus, Navarrus, Sotus, Contra Cajetanum in summa Ver. perjurium, Toletum, Gabrielem, Tabienam Ver. Juramentum, Fumum, Valentiam, & Lessium Jus. Lib. 2. Cap. 42. Dub. 5. cujus ratio mihi magis solida videtur: quia ejusdem rationis est falsum reddere id quod Deus antea testatus est per Juramentum promissorium, & facere ut Deus in præsentis falsum testetur, uti fit in Juramento assertorio, quod semper est grave. Nam quod veritas Juramenti promissorii tantum sit futura pendens ab ipso jurante, non facit quo minus æquè teneatur efficere ut verum sit quod juravit se facturum: quamdiu saltem res promissa non remittitur, aut honesta manet, de quo infra. Certum verò hoc est, ut levissimum sit, quod vel negando, vel affirmando scienter juras falsò, esse mortale.

6. Si quis se juret facturum, quod postmodum non decet, non tenetur. Nec si juravit alterius causâ, qui fieri non vult quod promissum est. Nisi simul ad honorem Dei jurasset: Tunc enim videtur voti locum tenere. Etsi hic etiam, ut volunt quidam, non teneatur, si ille cujus fieri interest, obligationem remittat; ut si quis ad Dei gloriam jurasset, se pauperculam certam in uxorem ducturum, eaque relaxet promissum.

7. Fraude inductus ad jurandum, quam si novisset non jurasset, non tenetur. At extortum vi Juramentum de re non illicita obligat, nisi vel relaxetur, vel sit de Matrimonio ex metu, qui cadat in constantem virum, ad id obtinendum incusso.

8. Juramentum de re imprudenti, Indifferenti, aut melioris boni impeditiva, non obligat: quod postremum merito sic intelligunt nonnulli, nisi juratum sit in alterius favorem, v. g. ducere aliquam: non enim potes id postea omittere ob solum continentiae desiderium.

9. Jurans facere certo tempore, si non potest, tenetur

E e tur

tur postea, nisi ad solum illud tempus Juramentum alligare voluerit.

12. Jurans non obligatur ad ea, de quibus si cogitasset, ea non intendisset in aliis quae promittebat includere, sed exclusisset: nec etiam obligatur, si id accidat, quod si fuisset Juramenti tempore, pro temerario haberetur.

13. Si procurator ex speciali mandato tuo pro te juravit, teneris ejus Juramento, *Leander, Sa, alique.*

14. Juramentum de celando secreto, intelligitur, nisi alteri magis noceat secretum non aperiri, aliud est de secreto confessionis Sacramentalis.

15. Juramentum servandi omnia statuta, intelligitur si sint licita, & nisi abrogentur.

16. Civitatis Juramentum, si pars major non servet, nec reliqui servare tenentur. Non enim pro tali casu praesumuntur cives se obligasse.

17. Impuberis Juramentum, patre contradicente irritatur. Potest etiam pater irritare tale Juramentum filii, etsi speciem voti habeat, ut potest ipsa vota: sic & quisque indirecte Juramenta subditi, de rebus sibi subjectis, si velit, irrita reddit.

18. Juramentum a se factum ad Dei gloriam potest quisque commutare, in rem aperte meliorem, non si factum sit homini. *Tolet, Sanchez, alique.*

19. Qui juravit non petere dispensationem voti, vel Juramenti, vel ea non uti, poterit rem Superiori indicare, si sic ratio postulet, & si is dispensationem dederit, eam liberè acceptare. *Sylvester ver. Juramentum.*

20. Qui ex privilegio possunt dispensare in votis, vel ea commutare, non propterea idem possunt in Juramentis. *Navarrus Cap. 27. alique.*

21. Etsi Episcopus possit dispensare in Juramentis Pontifici non reservatis, causa tamen proportionata requiritur, ut dispensatio sit valida. Non requiritur tamen illa in Juramenti irritatione, ut haec fiat valide, sed tantum ut fiat licite.

QUESTIO sit difficilis est, An qui juravit redire ad carcerem, quo injustè detinetur, obligetur ad reditum, si subsit probabile periculum mortis injustae postea infligendae?

Respondeo, Sententiam ab auctoritate esse utrimque valde probabilem. Teneri ad reditum docet *Suarez, Lessius, Layman*, alique quos citat & sequitur *Sanchez Lib. 3. in Decal. Cap. 11. Num. 32.* Admittit tamen *Suarez & Sanchez* cum aliis quos citat ibidem Num. 35. Episcopum posse illud Juramentum relaxare, & sic obligationem redeundi tollere: quia jus vitae praebet justam causam relaxandi. Negat verò absolute tali casu ad reditum teneri, *Pasquez 1. 2. q. 96. Art. 5. Navarrus, Fabiana, Sylvester*, & plures Juristae, nec non *Diana, Tamburinus, Reginaldus, Fagundes Lib. 2. in Decal. Cap. 13. Num. 10.* alique quos citat *Leander Tract. 1. de Juram. Diss. 10. Quast. 21.* Quia, inquit, Juramentum de tali re esset temerarium, quod non obligat, esset enim vinculum iniquitatis, in ordine ad mortem injustè inferendam.

Excipe tamen tale Juramentum, quod fieret ab eo qui ob Religionem captivus detineretur, vel etiam apud Turcas, vel in alio casu quo ex omisso ad carcerem reditu nasceretur magnum scandalum, aut contemptus Religionis: idque admittit *Navarrus, Diana, Tamburinus, Leander loco citato*, & plures etiam secundae sententiae Auctores.

QUESTIO quanam personae ad Juramentum suscipiendum in judicio admittantur?

Respondeo, Non admitti, jure saltem communi, pueros, aut puellas ante annos pubertatis, qui sunt in pueris 14. in puellis 12. In causis autem criminalibus non admittuntur minores viginti annis, ut constat ex lege *invis ff. de testibus*. Repellitur etiam qui antea fuit perjurus *Cap. parvuli 22. Quast. 5. in Apostata Cap. alieni 3. q. 4.* Et inimicus, aut malevolus, *Cap. cum oporteat, de accus.* Excluduntur etiam communiter qui est socius criminis, aut criminis, aut consanguinei, & affines usque ad quartum gradum illius pro quo est Testimonium dandum, *Cap. similiter. de testibus &c.* Et specialiter Sacerdotibus interdictum est in judicio ex levi causa Juramentum praestare, ex *Cap. si quis Presbyter 2. Quast. 4.* Quia in causa non gravi sola testificatio sacerdotum debet esse fide digna sine Juramento. Possunt tamen in Judicio Juramentum praestare in causa magni momenti; in quo sufficit Sacerdoti proprium peccatum tangere, extra aliquos casus qui excipiuntur in *Jure Cap. si quis Presbyter supra.*

DAMNATA est ab *Innocentio XI.* de Juramento haec *Prop. 24. Vocare Deum in testem mendaciter non est tanta irreverentia, propter quam velis compari damnare hominem. Et Prop. 25. Cum causa legitimum est jurare sine animo jurandi, si verus sit levis, sit gravis. Et Prop. 26. & 27. de Jurante cum restrictione, amphilogia & supra Pag. 32.*

§. III.

De Voto.

1. **VOTUM** est, promissio deliberatè Deo facta de bono meliori. Ea deliberatio requiritur ad obligationem Voti, quae requiri solet ut quis peccet mortaliter.

Sed quid si post emissum Votum dubitetur, an vovens habuerit sufficientem deliberationem, & usum rationis? Si vovit ante septimum aetatis annum, in tali dubio non obligatur: quia possessio stat pro libertate, nec praesumitur in illa aetate habuisse sufficientem deliberationem. Si verò post septennium vovit; non obstante tali dubio manet Voto obligatus: quia possessio stat pro Voto, & praesumitur usus rationis, nisi constet oppositum: Ita *Sanchez, Diana, & Doctores* communiter.

2. Non obligat Votum de re vana, aut impediens majoris boni, neque de re indifferenti, nisi bonum incohonestetur. Quia Deus talia Vota tanquam vana non acceptat, ut docet *Navarrus Cap. 12. alique.*

3. Tenetur Voto qui intendit vovere, etiam non intendat implere: qui verò se non intendit obligari, non videtur intendere vovere; hoc enim ipso, quis vovet se obligari; uti qui promittit, obligat se hoc ipso quo promittit. Peccat tamen, & secundum quosdam mortaliter, vovens sine animo se obligandi.

QUESTIO est, An validum sit Votum, aut Juramentum numquam peccandi venialiter?

Respondeo negativè, quia est de re moraliter impossibili, spectata communi hominum imbecillitate. Sed quid si sit Votum de certo veniali, v. g. numquam peccandi? Respondeo Votum illud validum, & specialiter laudabile esse: quia per insignem diligentiam est mortaliter possibile cum ordinaria Dei gratia ab omni

mendacio abstinere, ut admittit etiam *Lessius, Sanchez, Suarez, de Voto Cap. 3.*

Sed *Quæres*, An idem sit de Voto vitandi omne profusum verbum otiosum, aut omnem distractionem in oratione? Affirmat esse validum *Cajetanus 2. 2. Quæst. 88. Art. 8. & quidam alii?*

Respondeo tamen, multò probabilius, esse invalidum: Quia lingua est tam lubrica, & phantasia tam instabilis, ut moraliter impossibile sit in illis cobibendis omnem negligentiam semper evadere. Constat quidem S. Teresiam emisisse Votum semper faciendi quod iudicaret Deo acceptissimum: sed ad hoc opus erat gratiâ profusis rarisimâ, & ad cooperandum gratiâ, rara avis in terris erat S. Teresia.

4. Quoad Votum ex Metu, probabilius est Votum factum metu gravi, ad id non iuste incusso non valere, nisi firmiter Juramento: Secus est si metus iuste incutitur.

5. Votum puellæ ob metum Patris reverentialem, non valere quidam probabiliter asserunt, si præsertim timeat ne ab eo alioqui durè tractetur. *Navarrus Cap. 25. Num. 1. cum variis.*

6. Qui vovit solum ingredi Religionem, si in Novitatu ea non placet, potest exire, etiamsi vovisset animo perseverandi: sic enim institutus est, & intelligitur ingressus Religionis.

7. Violare Votum de re levi, aut de vitando aliquo veniali, est solum veniale peccatum. *Navarrus Num. 40. Layman cum communis*, quod confirmatur in levi violatione pauperatis, aut obedientiæ religiose: contrarium de Juramento plures docent.

8. Non est plerumque in potestate voventis se obligare sub mortali, aut veniali peccato; obligatio enim pro qualitate materiæ quam voveat gravis, aut levis incurritur.

Vota emissâ ex errore non obligant, si error fuerit circa substantiam rei promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem sive motivum vovendi. Hinc error circa substantiam facit ut non teneatur qui vovit dare calicem quem putavit esse argenteum, cum tamen sit aureus. Error circa finem invalidat Votum offerendi Deo Sacrificium in gratiarum actionem pro recuperata sanitate amici, qui tamen est mortuus, aut non laboravit. Ita *Lessius, Filliusius, alique communiter.*

9. Non idèò Votum non obligat, quia accidit aliqua quod si prævidisses, non vovisses; sed quia accidit id quod si fuisset ab initio tempore voti, obligationem Voto abstulisset, ut si fiat res impossibilis, aut illicita, aut indifferens, quæ per se sub Votum non cadunt.

10. Votum Sacerdotii, aut Votum non nubendi, non est Votum castitatis, potestque ab Episcopo dispensari.

11. Votum de impossibili non obligat, etsi res postea fiat possibilis. Ita DD. Communius.

12. Illi possunt irritare suorum Vota, quos diximus posse irritare Juramenta, supra §. 2. Num. 17. Qui tamen sine causa irritat alterius Votum in quod confenserat, peccat quidem, sed valida est irritatio.

13. Etsi Episcopus possit dispensare in suorum subditorum Votis Papæ non reservatis, dispensare tamen non potest Parochus. Quia in hoc non habet jurisdictionem fori externi, *Suarez, & alii communiter.*

14. Votum omne, ex juris auctoritate, commutatur. *R. P. Arjæck, Tom. II.*

ri potest in Votum Religionis, quia hoc est maxime arduum & diuturnum.

15. Potest quis non servare Votum, quando observatio vergit in periculum magnum, & non potest pro dispensatione adiri superior. Excipe tamen Votum continentis, quæ melior ipsâ vitâ existimatur.

16. Causa dispensandi esse potest, facilitas nimia, sive defectus maturæ deliberationis in vovendo, infirmitas ad implendum, necessitas vel utilitas: quæ item causæ ad Votum commutandum idoneæ esse solent.

17. Papam posse in Voto solenni castitatis dispensare quidam negant, aliqui rectius affirmant, utrumque sat probabile Auctores admittunt.

18. Qui potest ex privilegio dispensare, potest & commutare, non contra. Dispensatio autem in Voto sine iusta causa invalida est, ut passim admittunt Theologi.

19. Dispensatio aut commutatio Voti & Juramenti invalida & iniusta est, quando ea cedit in præjudicium tertii, cui per Votum aliquod jus acquisitum est. Sed bene notandum, jus illud acquisitum non esse, nisi promissio fuerit acceptata, ideoque posse adhuc Votum relaxari aut commutari: Ita *Rodrig. Tom. 2. Cap. 131. Num. 4. cum aliis.*

Quinam autem possint in Votis & Juramentis dispensare, aut ea commutare, reperies supra in ferie Facultatum, pro Missionariis & aliis *Tract. 2. Cap. 5. §. 1. Num. 9.*

QUÆRES, quænam Vota sint soli Pontifici reservata, sic ut nequeant ab alio, sine ejus facultate relaxari, aut commutari?

Respondeo; quinque esse Vota sic Pontifici reservata: Votum Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellam, & ad Terram Sanctam. In necessitate quando non datur recursus ad Pontificem, potest in illis Episcopus cum suis subditis dispensare, ita *Doctores ex Juris concessione.*

Quod si prædicta Vota fuerint pænalia, ut, si fornicatus fuero, voveo in pœnam servare perpetuam castitatem: vel si fuerint conditionalia, ut, voveo peregrinationem Compostellanam, si ab hoc morbo convalesco: talia Vota non censentur reservata, etiam post impletam conditionem. Quia non sunt emissâ ex virtute Religionis, sed vel pœnæ explendæ, vel fanitatis obtinendæ gratiâ; reservatio autem cum sit odiosa rigidè interpretanda est. Poterunt itaque talia Vota relaxari ab iis qui facultatem habent dispensandi aut commutandi alia Vota, ut docet *Cajetanus* verbo, *Votum* Num. 6. *Medina, Lopus, Aragonius, Palacius, & plures Theologi recentiores.*

QUÆSTIO est inter aliquos Recentiores, An si obstrictus Voto castitatis sine delectatione propria, alium suo contactu ad pollutionem impellat, teneatur in confessione circumstantiam sui voti explicare?

Non desunt auctores qui sustinent partem negativam; eo quod talis in se ipso nullam ponat actionem veneream castitati suæ contrariam?

Respondeo tamen, illum esse Voti transgressorem, & teneri obligationem talis Voti in confessione exponere. Quia vovit abstinere ab omni actu venereo, ac proinde dum actionem illam in alio procurat, contra Voti religionem operatur.

Nec videtur contraria opinio tuto sustineri, cum

ea iussu supremi Tribunalis Fidei expuncta fuerit ex Summa Hieronymi de Lamas anno 1640.

De *Potis Religiosis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiae*, tractavimus ex professo supra *Tract. I. Cap. 6. Art. 3. Pag. 130.*

CAPUT III.

De tertio Praecepto, Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

§. I.

De Festorum observatione.

1. Observatio Festi incipit à medio noctis usque ad medium noctis sequentis. Violatur sanctitas Diei Festi exercendo opera servilia, hoc est, quae versantur circa materiam externam, & pro Mechanicis haberi solent, ut fabricare, aut suere, aut similia, quae requirunt laborem corporis, qualis ab operariis exerceri solet.

2. Illicitum non est diebus Festis instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, vel curra: quia haec non sunt servilia. Imò licita sunt reliqua ad res ejusmodi necessaria, v. g. currum fractum die Festo reparare ad iter istius diei. *Navarrus, Toletus, Suarez.*

3. Licet etiam diebus Festis docere, scribere, etiam accepto pretio aliquid non multum operosum transcribere. Imò licitum esse pingere docet *Medina, Lopez, Armilla*, & probabile putat *Layman*: de rudibus verò lineamentis die Festo formandis, id plerique concedunt.

4. Servile non videtur ad vitandum otium venari, aucupari, piscari, saltem in fluminibus recreationis causa, ita censent *Granadus, Layman, Bonacina*. Idem de puellis ad otium vitandum non operose aucupantibus, cum *Diana Part. 6. Cap. 5. Resol. 25.* docet *Azor, Armilla, Sa.*

5. Non licet emere aut vendere res non necessarias, negotiari publicè vel privatim inire contractus emptionis, permutationis, locationis: nisi ex consuetudine, vel aliis iustis de causis excusentur: quia ista intelliguntur nomine mercatus: qui prohibitus est, *Cap. 1. de servis*, ut docet *Suarez, Bonacina, Filiucius.*

6. Queritur hic, quae causae excusent ab observatione Festorum?

Respondeo, 1. Dispensatio Episcopi, vel potestatem Episcopalem habentis, vel quasi Episcopalem, uti habent Superiores Religiosorum, imò & Parochi quando non datur facilis accessus ad loci Ordinarium.

2. Loci consuetudo: hinc licitè sunt Nundinae in Festis passim haberi solitae, & praeparationes ciborum etiam non necessariorum, ut placentarum, & similium. Licitè etiam quibusdam locis sunt emptiones & venditiones rerum, quae parvo pretio emuntur. *Layman, Bonacina, alique.*

3. Necessitas propria vel aliena, corporis vel animi: quando nimirum sine gravi incommodo aliquid omitti non potest. Sic excusantur servi & ancillae coacti à Dominis laborare, nec audentes recusare: Si tamen id saepe contingat, regulariter eos deserere debent. Item *Pistores, Laniones, Coci, Sartores* in operibus necessariis, ut in funeribus, nuptiis &c. sialiter fieri non potest ut

satisfaciant. Item *Agricolae*, si ob imminentem pluviam fennum, vel fegetes colligere debeant.

Denique excusat parvitas operis, vel temporis, unde grave non videtur unà horà laborare, ita *Suarez*, maxime, ut notat *Layman*, si labor non sit servilis nimium, qui brevi etiam tempore corpus fatigat.

7. Peccat qui post usum rationis die Festo non audit Missam, peccat quidem venialiter, si pars parva spontè omittatur: mortaliter verò, si pars sit notabilis v. g. media, vel tertia pars Missae. *Layman* tamen & alii quidam non audent mortalis damnare eum, qui tantum ab offeritorio usque ad finem adfuisse.

8. Qui à duobus Sacerdotibus successivè duas Missas audit tantum dimidias, peccat saltem venialiter: cum in eo peccatum admittit *Navarrus, Sa, Sotus, Henriquez, Diana*. Quia talis non audit integram Missam, sicuti praescripta est ab Ecclesia, & sicuti communiter fidelibus intelligitur, cum illae potius sint partes diversarum Missarum, non constituentes unam in ratione Sacrificii vel actionis sacrae.

9. Multò minus satisfacit, qui duas partes Missae simul à duobus Celebrantibus audit. Nam hic praeterita valde irreverenter tractat Sacrificium ad eò tremendum, dum tempus pro eo ritè peragendo necessarium est consuetum, non vult impendere etiam ipso die, quem totum Deo consecrare tenetur. De hoc extat *Pag. Innoc. XI. Prop. 53.*

10. Non satisfacit etiam, qui sub Sacro dormit, pingit, docet; vel qui post murum, aut tali loco est, unde nihil audiri, videri, vel notari possit quod in Missa fit.

11. Satisfacit tamen surdus, coecus, & qui post altarium, aut columnam, vel in fenestra, vel extra eam ita est praesens, ut ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agatur, spectatà loci naturà: et imple per accidens nullam Sacerdotis actionem videtur audiat, modò per moralem conjunctionem sit parvus ejus multitudinis, quae Missae praesens dicitur: haec *Bonacina alique.*

QVAERES, An qui tempore Praefationis accessit ad Sacrum audiendum, quod unicum eo die celebratur, teneatur audire saltem aliam partem sequentem? Notat *Ledesma* in summa *Part. 1. Cap. 27. Consil. 5.* *Josua Sanchez*, &c. apud *Dianam* in *Miscel. Resp. 60.* Quia, inquit, per reliquam partem istius Missae non potest implere praecipuum, quod requirit Missam sincere integram.

Sed verius affirmat *Moya* Part. postrema *Sol. quæstionum*, citans *Suarem & Sanchez*. Quod satis probat: quia à consecratione usque ad communionem inclusivè continetur essentia Sacrificii, cui reliquae partes sunt tantum accessoriae, & integrantes: cum ergo principale non sequatur accessorium, sed contra, plus deducitur illum teneri adire istius Missae partem reliquam, quae est omnino principalis.

12. Qui ex impotentia saltem morali impeditur ire, aut magnà difficultate, aut ex notabili incommodis proprio, vel proximi, vel bonorum, vel honoris, non tenetur curare celebrari privatim in Altari portatili, si privilegio, aut praesens interim alias loco Missae recitari quamvis id consultum sit. Quia non est mens Ecclesiae praecipiens instar discretæ & benevolae matris, aliam praedictam ad ista obligare: Ita *Bonacina, Navarrus, Filiucius, Suarez.*

Hinc excusantur illi, quibus si exeant ad Missam recitandam periculum est gravis offensionis